Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

flebat magis contristabatur quia cum ipsis non intraverat. Qui cum tandem cimba defensus, terre cum sociis applicuisset, ecce mirum dictu socium quem in mari inter duas naves diximus decidisse de mari subito vivum et incolumem vident exire. O quantus stupor tunc omnes invasit, o quanta de socio recepto leticia omnium corda perfudit.

Querunt ergo stupentes quid ei accidit, quomodo a marinis fluctibus liberari potuerit. At ille: Quid inquit socii sic me admiramini salvatum? que illa salvare dignata est per quam salus omnium venit. Beate quippe dei genitricis Marie nomen cum in aquam cecidissem inclamavi, et sic eius memoriam habendo et nomen inclamando pelagi adima deveni. At ipsa mater misericordie que memorum suorum immemor nullatenus potest esse, hac hora mihi sub undis astitit pallio suo me clementer contexit, et intactum sub aquis usque ad litus perduxit.

Hec eo dicente laudes immense domine nostre referuntur, et beata dei genitrix mater misericordie ab omnibus predicatur. Cuius vere pallium amplum mundo superextenditur, quo certe genus humanum contegitur, quo frigidus obvolvitur ut calescat, quo calidus operitur ut frigescat, quo peccator fovetur ne desperatione ledatur, quo reus defenditur ne animadversione divina feriatur.

O pallium miserorum, o omnium desolatorum confugium, o securum in omni adversitate latibulum. O quilibet peccator ferire te vult pro culpa filius eius iudex iustus, fuge sub pallium misericordissime Marie matris illius.

Circumda te undique illius pallio, ne ulla parte feriaris ab illo. Parcet enim ei misericorditer, quem protegere voluerit misericordie mater. Ledere te querit antiquus hostis, absconde te in sinu illius, quo accedere non audet hostis ille malignus. Naufragaris adversitate mundana, clama et exclama nomen misericordissime Marie, que vultu suo repellit omnia adversa. Ecce enim naufragus iste nominandum omnibus nomen invocavit in sua adversitate, nec in maris profundo eam quam invocaverat subvenire potuit desperare. Deducitur siquidem illesus ad litus, ea deducente que mundo naufrago facta est portus.

De quodam Abbate.

Aliud quoque sancte dei genitricis Marie miraculum narro, quod ab ipso didici abbate, qui hoc idem quod scribo expertus est in semetipso. Fuit enim aliquando in medio maris britannici nimia cum aliis multis oppressus tempestate, adeo ut de vita omnes desperarent. Alii vero istos, alii vero illos ut liberari mererentur cum magno gemitu invocabant sanctos. Alii namque beatum Nycolaum declamabant, alii vero pium Andream vel quemlibet alium inclamabant ceteri. Unusquisque siquidem quem sanctum familiarem habuerat, eum illa magna necessitate familiarius invocabat. Deinde aliqui offerebant munuscula, ut est moris deprehensis tempestate marina. Cum ergo abbas videret omnes istos vel illos minus potentes sanctos invocare, neminem autem matrem misericordie cunctis omnibus miserendi potentiorem inclamare nec nominare: Quid inquid est fratres quod geritis? Sanctos qui minus possunt invocatis, et ipsam matrem misericordie que plus omnibus potest non invocatis? Bonum quidem est quod agitis, sed multo melius esset si omnes una voce genitricem dei acclamaretis. Quo illi audito, omnes una voce dei genitricem nominant, omnes matrem misericordie iterant, omnes ut sui misereatur proclamant. Sancta inquiunt pia et perpetua virgo Maria succurre miseris, subveni iam morituris, sentiant omnes tuum levamen, qui tuam in nostra tribulatione deposcimus consolationem. Tu dei mater alma, tu celi potens regina, tu semper in misericordia prompta, tu desolatorum solamen, tu oppressorum iuvamen, tu destitutorum munimen. Ipse quoque abbas qui per duos dies et duas noctes ita afflictus erat quod nil preter unum pomum comedit, illud responsorium Felix namque, eiusque versum Ora pro populo devotissime cum suis monachis cepit decantare. Mirum dictu, sed dei genitrici nichil impossibile scimus. Vix ea itaque finierant et ipsius preces cum lamentatione, et ecce in summitate mali lux magna ad instar cerei apparuit, que noctis tenebras fugans, omnes qui aderant in navi sua claritate perfudit. Iam enim se invicem agnoscere poterant, qui se prius tenebrarum densitate videre nequiverant. Tota quidem pelagi cessavit tempestas, celique regina iubente facta est tranquillitas magna. Non multo post dies serenus illuxit, et terre ad quam tendebant navis applicuit. O ergo maris stella cunctis lucidior, cunctis ad subveniendum potentior. Ecce enim stellas minores attendunt et non illustrantur, sydus respiciunt marinum et salvantur. Vocant sanctos minores nec iuvantur, invocant sanctorum sanctissimam et salvantur. Offerunt dona sanctis aliis, et non cessat tempestas, offerunt preces matri misericordie et redit tranquillitas. Cessat pius Andreas a pietatis opere, quia in exhibenda pietate piarum cedit piissime. Cessat Nycolaus sanctus.